



**R. P. Christophori Gillii, Ex Brigantio Lvsitaniæ, Societatis
Iesv, Et in Conimbricensi Academia S. Theologiae
Professoris; Commentationvm Theologicarvm De Sacra
Doctrina, Et Essentia atque vnitata ...**

Gil, Christovão

Coloniae Agrippinae, 1610

Theologia ab habitu Fidei, re & ratione distinguitur. cap. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82291](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82291)

explicat Herueus ubi supra. Respondere etiam potest, quando subiectum primum est obiectum praxis, & speculationis, posse circa illud coadunari sub vna ratione formali motiua speculationes, & dictamina practica: hæc dirigendo in ipsum, tamquam in finem, operationes quas mensurant illæ, sistendo in perceptione veritatis illius obiectiue. Hoc verò modo se habet Deus respectu Theologiæ, vt per se patet. Ad secundum dicendum abstractionem per se solum distinguere scientias naturales speculatiuas: nam scientia moralis modo agit de actionibus purè spiritualibus abstrahentibus à materia, modo de actionibus moralibus, quæ versantur circa appetitum, & materiam externam, & nihilominus non est eiusdè speciei, cum physiologia, aut Metaphysica. simili ratione Theologia non debet specie distinguì ob multipliciter abstractionum. Accedit quod est supranaturalis sumens assentienti motuum non ex varia obumbratione, aut illustratione luminis intellectualis per accessum, vel recessum à materia sensibili, aut ex ipsa terminorum penetratione diuersimodè illustrata ab intellectu agente: sed ex diuini luminis illustratione ineuidenti, quæ ob abstractionis multipliciter non variatur. Ad vltimum respondeo, tum demum principia distinguere scientiam cum constituunt medium adæquatum per se, non autem quando sumuntur ad consortium cum principio alterius generis, quod traducit ea ad constitutionem vnius integri medij retinentis eandem rationem formalem ex vi principij trahentis: exempli causa, duo principia abstrahentia à materia sensibili constituunt medium gignens scientiam Mathematicam: duo item abstrahentia à materia intelligibili constituunt medium gignens scientiam Metaphysicam: ratio est, quia utrobique est diuersa penetratio terminorum sub diuersa abstractione, & coalescunt in vnum medium complectens duo principia eiusdem generis: at, si sumatur tantum vnum principium Metaphysicum, aut Mathematicum, & coniungatur cum altera propositione credita fidei humana, iam non habet vim trahendi assensum ex utroque genitum ad propriam speciem scientiæ quæ aptum esset gignere, si copularetur alteri principio eiusdem generis: sed ipsum trahitur ex ineuidentia fidei humanæ ad productionem actus non scientifici: Eadem verò est ratio in vfu principiorum naturalium, quæ interdum adhibet Theologia: nunquam enim componit discursum ex duobus principijs naturali-

bus, sed semper cum altero naturali sumit alterum reuelatum: ex cuius societate naturale præceditur à partu scientiæ, siue euidentiæ, & trahitur ad gignendum assensum ineuidentem, ideoque multipliciter principiorum naturalium, quibus Theologia vitur, non impedit eius vnitatem.

Theologia ab habitu fidei re, &
ratione distinguitur.

CAPVT II.

Dictum est de vnitatem, & distinctione Theologiæ ab alijs scientijs, nunc videndum est an distinguatur à fide. Non pauci Doctores censent non distinguì re ipsa ab habitu fidei eum, qui versatur circa conclusiones deductas ex principijs reuelatis per euidenter consequentiam, quem esse propriè Theologicum ostendi tract. 1. cap. 9. Ita Scot. in 3. d. 35. quæst. vnica *Scot.* Aureol. quæst. 1. prologi, art. 2. & in 1. d. 48. quæst. vnica, art. 3. Oham. in prologo, *Ocham.* quæst. 3. principali lit. I. & O. Toletan. q. *Toletan.* 3. prologi, art. 2. conclusionem 1. & art. 3. & 4. in solutionibus ad argumenta cōtra eandem conclusionem primam. Gabr. quæst. *Gabriel.* 7. lit. C. & in 3. d. 24. quæst. vii. art. 2. conclusionem 6. Maior. q. 4. prologi, Syluest. *Maior.* in conflato, quæst. 1. art. 10. §. 1. & art. 11. Syluest. *Syluest.* circa solutionem ad tertium, Scot. lib. 1. *Scotus.* Poster. cap. 3. quæst. 2. ad confirmationem septimi argumenti principalis, & aliqui recentiores, inter quos magna est dissensio: alij enim existimant ad habitum infusum fidei pertinere assensum conclusionum ex principijs reuelatis, neque esse propriè Theologicum, ita Aureol. & Scotus. Alij quidē censent huiusmodi assensus esse propriè Theologicos: Non tamen conueniunt in assignando habitu fidei, cum quo existimant identificari Theologicum. Recentiores aliqui opinantes Theologicum discursum fieri ex principijs creditis ex humanis motiuis, censent per eundem habitum credi principia, & deduci conclusiones. Scot. vero, Ocham. Tolet. Gabr. & Maior. ponentes fidem acquisitam circa actus fidei, ad quos concurrunt infusa, dicunt acquisitam versari etiam circa conclusiones. Tandem Syluest. censet Theologiam non distinguì ab habitu infuso fidei, cui sententiæ fauet Albert. in 1. d. 1. art. 5. docens habitum Theologiæ esse lumen fidei, tam ad ea, quæ continentur in Scriptura, quàm in libris sententiarum. Probatur autem

sententia hæc quoad id, in quo omnes conueniunt, nempe Theologiam non distingui ab habitu fidei, primò quoniam Theologia versatur circa idem obiectum materiale, & formale, de quo est fides, nempe circa conclusiones reuelatas, sub motiui reuelationis diuinæ, habitus vero, qui versantur circa idem obiectum sub eadem ratione formali non distinguuntur, ergo neque Theologia distinguitur à fide. Maior propositio ostenditur. Primò, quoniam propositio omnis, quæ deducitur ex utraque de fide, vel saltem ex altera reuelata, altera naturaliter euidente pertinet ad fidem, & qui illam negaret tamquam hæreticus puniendus esset. Secundò quoniam pleraque habemus ab Ecclesia definita tamquam dogmata fidei, quæ non sunt formaliter reuelata in se, sed euidenter ex reuelatis deducta: ergo ad omnes conclusiones verè Theologicas inclinatur habitus fidei. Tertiò confirmatur, quoniam Theologus suum assensum resoluit in eandem reuelationem, qua nititur fides, atque adeò assentitur propter idem motiui: & consequenter Theologia versatur circa idem obiectum materiale, & formale, circa quod fides. Secundò arguit Toleran. fidelis non distinguitur ab infideli nisi per habitum fidei: at habitus Theologiae in solo fideli reperitur, neque dari potest in infideli: ergo est idemmet habitus fidei. Maiorem probat, quia sola fide posita in viatore est fidelis, & ipsa remota, & quocumque alio posito non est fidelis: igitur per solam fidem distinguitur fidelis ab infideli. Assumptio verò est etiam manifesta: nam, cum Theologia sua principia ex reuelatione supponat, infidelis habere nequit habitum Theologiae, cuius principia reijcit, & rationem motiuam, hoc est diuinam reuelationem negligit.

II.
Syluest.

S. Thom.

Eandem sententiam ex alio fundamento ruetur Syluest. vbi supra, ait enim habitum Theologiae esse idem realiter, & essentialiter cum habitu fidei: quoniam habet idem obiectum simplex, hoc est Deum, siue primam veritatem, obiectum verò simplex scientiæ, & principiorum est idem, vt docet D. Thomas 1. p. quæst. 1. art. 7. existimat tamen distingui realiter accidentaliter, hoc est per extrinsecam connotatam importatam in respectibus cuiusque, secundum propriam significationem: includunt enim habitudinem ad diuersa obiecta complexa: siquidem fides est de immediatè reuelatis, Theologia de conclusionibus, quæ deducuntur ex reuelatis: & ita concludit non solum esse vnum habi-

tum realiter, sed etiam essentialiter: quoniam essentialis distinctio habituum, non est penes obiecta complexa, sed penes simplex, in hoc autem conueniunt fides, ac Theologia, eandemque rationem esse ait in naturalibus de intellectu, sapientia, ac scientia. Quoniam vero D. Thomas ait in hac scientia acquiri habitum conclusionum, quæ ex principiis creditis deducuntur, ita interpretatur, vt eiusmodi acquisitio, non sit productio alicuius habitus distincti à fide, sed extensio eius ad conclusiones. Itaque censet in Theologia, & quauis alia scientia non acquiri habitum principiorum, sed conclusionum, in quantum habitus principiorum, qui est intellectus, vel fides extenditur per demonstrationem ad conclusiones, & sic scientia: quemadmodum etiam si sit acquisitus habitus scientiæ respectu vnius conclusionis per secundam demonstrationem, non acquiritur, sed extenditur ad aliam conclusionem. Est tamen discrimen, quoniam cum habitus scientiæ extenditur ad nouas conclusiones, non aduenit ratio noui habitus, quia non egreditur limites scientiæ, cum vero habitus principiorum extenditur ad Conclusiones, illa entitas habitus, quæ habebat rationem fidei, vel intellectus, acquirit rationem scientiæ: atque ita idem habitus realiter, ac essentialiter est fides, & scientia creditiua.

Argumenta primo loco proposita procedunt ex principiis habitus fidei, ac Theologiae: fundamentum verò Syluest. quo etiam vtuntur Recentiores ad probandum Theologiam non distingui ab habitu fidei ex motiuis humanis acquisitis, procedit ex communibus, & quoniam communia sunt priora propriis, ab hac secunda difficultate incipiendum est. Quamuis autem huius rei explicatio sit potius Philosophi, quam Theologi, tamen quia non aliter impugnari potest Syluestri fundamentum, quam explorando naturam, ac distinctionem habituum principiorum ab habitibus scientiæ, necesse erit breuiter hoc attingere. Pro quo supponendum commune axioma Theologorum, ac Philosophorum asserentium habitus distingui penes actus in ordine ad obiecta: atque adeò actus specie distinctos per se non posse proficisci ab habitibus eiusdem speciei: actus item specie diuersos non posse producere, aut augere intensiue, vel extensiue eundem habitum specie: hoc enim est discrimen inter potentias, & habitus, quod potentia sub ratione communi specificæ

in gene-

III.

in genere potentiae admittunt diuer-
tatem actuum, & habituum convenientium
in ratione illa communi potentiae: at ha-
bitus, cum sint determinationes potentia-
rum, nec ipsi per aliquid aliud sibi super-
additum determinari queant ad habitus
huius speciei potius, quam illius, se ipsis
formaliter & intrinsecè, ab obiecto vero
extrinsecè determinantur, ut huius potius
rationis, quam alterius actus possint effice-
re: alioquin non esset vlla ratio distinctio-
nis, ut vero ait D. Thomas 1. 2. quaest. 52.
ar. 1. id, à quo aliquid habet speciem, opor-
tet manere fixum, ac stans in indiuisibili,
ex quo efficitur addita quacumque varia-
tione, quae extrahat obiectum à propria ra-
tione, sub qua dat speciem habitui, iam nō
posse manere eundem habitum. Iam nunc
restat videndum si tunc assensus principio-
rum eiusdem, an diuersae speciei cum as-
sensibus conclusionis. Multae vero sunt
causae, cur videri possit esse diuersitas, in
primis quia pertinent ad diuersas opera-
tiones intellectus: assensus principiorum
ad secundam, conclusionum vero ad ter-
tiam: deinde quia assensus principiorum
sunt causae, assensus conclusionis effectus,
denique quoniam principia, & conclusio-
nes semper constant diuersis terminis, at-
que adeo sunt obiecta distincta. Verum
nulla ex his causis per se sufficit: quando-
quidem actus omnes fidei sunt eiusdem
speciei, & tamen duae ex illis rationibus re-
periuntur in alijs, atque alijs assensibus cir-
ca obiecta diuersa, nempe prima, & tertia:
in primis tertia, quoniam fides inclinatur ad
obiecta complexa diuersissima, quales sunt
propositiones conflatae ex terminis diui-
nis, & aliae constantes terminis creatis, pri-
ma vero, quoniam in sacris literis conti-
nentur aliquae argumentationes factae ab
ipso Scriptore sacro, vel Christo Domi-
no: atque ita fides non solum iuvat ad cre-
dendum conclusionem ipsam in se, verum
etiam prout substat discursui revelato: at-
que adeo ratio assensus discursui non ne-
cessario arguit distinctionem specificam à
iudicio non discursiuo. Secunda quoque
causa non sufficit: nam conclusiones om-
nes eiusdem scientiae sunt eiusdem speciei;
& tamen quando demonstratio non im-
mediatè procedit ex per se notis, sed ex ijs,
quae per prima, & vera cognitionis princi-
pium sumpsit, propositio, quae in vna
demonstratione est conclusio, in altera est
principium concurrens effectiue ad assen-
sum alterius conclusionis: ergo ratio causae,
& effectus in praemissis & conclusione, non
arguit distinctionem specificam.

Nihilominus dico primum, intellectus,
& scientia suapte natura sunt habitus essen-
tialiter distincti. Haec est communis sen-
tentia Doctorum, quos citavi tractat. 4.
cap. 9. tam assentium sapientiam esse ha-
bitum distinctum ab habitu intellectus,
quam id negantium, quia id tamquam pro-
prium assignant habitui sapientiae, ut ver-
setur circa principia, & conclusiones. Prae-
terea id expresse docent Durandus, quaest. 4.
prologi, num. 5. & 8. Scot. in 3. d. 35. q. 1.
vn. Aureol. quaest. 1. prologi, art. 2. & art. 3.
ad 4. ex primo obiectis. Hispalens. q. 3.
prologi, art. 3. notabil. 7. Canus, lib. 2. de
locis, cap. 8. paulò post medium, & lib. 12.
cap. 2. ad finem, & est sine dubio sen-
tentia S. Thomae, qui praeter loca, ubi id
docet de sapientia, idem affirmat de scientia
in 3. d. 23. quaest. 1. art. 4. quaestiuuncul.
3. ad 3. ubi sic habet: *Principia speculatiua
cognoscuntur per alium habitum naturalem, quae
conclusiones, scilicet per intellectum, con-
clusiones vero per scientiam. At vero pri-
ma secundae, quaest. 57. art. 2. ad 2. quam-
uis aliquo modo sentire videatur eundem
esse habitum, qui versatur circa principia,
& conclusiones, aliud omnino sentit si
rectè expendatur, sic enim habet: princi-
pia demonstrationis possunt seorsum considerari
absq; hoc, quod considerentur conclusiones: pos-
sunt etiam considerari simul cum conclusionibus,
prout principia in conclusiones deducuntur: con-
siderare ergo hoc secundo modo principia perti-
net ad scientiam, quae considerat etiam conclusio-
nes: sed considerare principia secundum se ipsa,
pertinet ad intellectum.* Ex quibus patet
distinctionem illam de principijs commu-
nissimis, & proprijs cuiuslibet scientiae: ni-
mirum, quod circa haec nō est alius habitus
à scientia distinctus, circa illa vero maxi-
mè, non habere fundamentum in doctri-
na D. Thomae: sed de omnibus esse ean-
dem rationem: nempe si per se specten-
tur, habere proprium habitum distinctum
ab habitu scientiae: si vero prout tendunt
in conclusionem, pertinere ad habitum
scientiae: id vero non est ita intelligen-
dum, quasi in ipso discursu, priusquam de-
tur assensus conclusionis, habitu scientifi-
co feramur in principia, quae tunc etiam
per se considerantur: sed quoniam ipse
met conclusionis assensus cadit etiam su-
per principia, tamquam super rationem
motiuam assentiendi conclusioni. Quod
etiam rectè notat Aureolus art. 3. citato
ad quintum ex primo obiectis. Ex quo
patet de sententia Diui Thomae habitum
quo assentimur principijs in se distingui
ab habitu scientiae: eadem sententia non

Durand.

Scot.

Aureol.

Hispalens.

Canus.

S. Thom.

Aristot.

obscure colligitur ex Aristotele, qui lib. 6. Ethic. cap. 6. & 7. tradens adæquatam diuisionem habituum naturalium intellectum, ac scientiam, tamquam distinctos numerat, nec vero solum id facit ratione discriminis accidentalitatis: non enim mos est Philosophi habere rationem eorum, quæ sunt per accidens, maximè cum tradit alicuius generis diuisionem. Accedit, quod ceteri habitus, qui ibi numerantur re ipsa, & essentialiter distinguuntur: idem colligitur ex lib. 2. Poster. cap. 18. illis verbis: *cum autem mentis habituum, quibus verum perspicimus, quidam veri perpetuo sint, ut intellectus, atq; scientia, & paulò post, nullumq; aliud genus exactius scientia sit, quam intellectus, &c.* quo loco intellectum, ac scientiam vocat habitus in plurali quasi plures, ac distinctos, item intellectum vocat aliud genus habitus à scientia, quod utique verum non est, si re ipsa sunt vnus, idemque habitus.

V.

Fundamentum vero sumitur à diuersitate motiui: nam, cum intellectus veritati complexæ non assentiatur ex mera libertate, quin videat ex parte obiecti rationem aliquam, qua ducatur ex varietate rationis, siue motiui sumenda est distinctio assensus, quotiescumque igitur deprehenditur diuersa ratio motiua in assensu, erit diuersus modus specificus: at considerando modum assentiendi principijs, & conclusionibus necessariò interuenire debet ratio assentiendi diuersa, nempe propter se, & propter aliud, quæ duæ rationes sunt diuersissimæ: nam prior inuoluit pro motiui solam apprehensionem simplicem cum lumine naturali intellectus, posterior requirit iudicium de veritate complexa, quæ duo semper differunt specie. Ex quo etiam colligi potest institutum à posteriore: nam effectus, qui requirunt per se causas specie diuersas, distinguuntur specie, scientia, & intellectus principiorum supponunt causas specie diuersas: ergo distinguuntur specie. Secundo sunt quædam principia communia omnibus scientijs, ut tradit Arist. 1. Poster. t. 24. & D. Thom. ibidem, aut ergo habitus ipsorum distinguuntur à scientiarum habitibus, aut omnes scientiæ sunt vnus habitus: hoc secundum est prorsus absurdum, quare primum est admittendum. Consequentia patet: nam, quando Mathematica vitur illis principijs, aut acquiritur nouus habitus re ipsa, & essentialiter diuersus ab habitu principiorum, aut hic extenditur: si acquiratur, habetur prius membrum consequen-

Aristot.

S. Thom.

tis: si extenditur, idem dicam, quando eodem principio vtetur Philosophus naturalis, nempe non acquiri nouum habitum, sed extendi præexistentem habitum principiorum, & consequenter habitum Philosophiæ esse idem realiter cum habitum principiorum, & cum habitu Mathematicæ, quoniã quæcumq; sunt eadè vni tertio singulari, sunt eadem inter se. At inquit Syluest. aliam esse rationem in principijs communibus, ac in proprijs singularum scientiarum: nam communia pertinent ad Metaphysicam, cuius est illa probare contra pericacitas: propria vero pertinent ad singulas scientias, & versantur circa idem obiectum sub eadem abstractione. Verum tamen solutio non est adæquata: nam principia communia in ratione principij, non magis respiciunt vnus obiectum quam aliud, sed omnibus ex æquo accommodari possunt: atque adeo habitus ipsorum vel sunt idem re cum omnibus scientijs, vel cum nulla: nam quod ad Metaphysicam pertineat illa defendere, & explicare, nil facit ad hoc, ut potius cum illa, quam cum ceteris scientijs idem sit: quandoquidem ut notat Heru. quodlib. 9. quæst. 5. ad finem. *Heru.* Sub ea consideratione potius respiciuntur, ut conclusiones probandæ, vel ut obiecta, de quibus aliquid ostenditur, quam ut principia per se nota supponenda ad probationem conclusionum. Ad fundamentum Syluest. dicendum est solam convenientiam habituum in obiecto materiali simplici non sufficere ad identitatem specificam, nisi accedat etiam eadem ratio formalis, ut patet in Theologia ipsa, ac Metaphysica, quarum est idem obiectum materiale simplex, nempe Deus, & tamen quia formalis ratio est diuersa, ipsi quoque habitus sunt diuersi. At fidei, ac Theologiæ est diuersa ratio formalis immediata, ut infra explicabo in responsione ad rationes priore loco inductas.

Dico secundum. Theologiæ habitus est distinctus re, ac ratione ab habitu fidei infusæ, & acquisitæ; hæc assertio quod attinet ad fidem infusam est expressa sententia Heru. Scoti, Ochami, Toletani, Gabrielis, Maioris, Hispanensis & Cani locis *Heru. Scot. Ocham. Toletan. Gabriel. Maior. Hispanens. Durand. Argentin. Palatini.* proxime citatis, & præterea Durand. q. 4. prologi, num. 5. & 6. Argentin. quæst. 4. art. 2. & Michaelis de Palatio, quæst. 6. & 9. Quod verò attinet ad fidem acquiritam intelligi debet, tam de fide, quæ acquiritur ex motiuis humanis, quam de ea, quam aliqui volunt concurrere ad actus fidei infusæ, & quidè in primo sensu, est omnium

antiquo-

antiquorum, quos retuli tractat. 2. cap. 7. asserentium Theologiam nostram pendere à principiis lumine diuino, & infuso cognitis: in secundo etiam sensu est communis Doctorum, vt etiam fatetur Toletan. art. 3. citato, expressè vero illam tradit Bassol. quæst. 5. prologi, art. 3. §. vltim. & ex instituto probat Gulielmus de Rubione, quæst. 7. art. 2. conclusionem 1. & 3. & Molin. 1. p. quæst. 1. art. 2. d. 2. & est D. Thom. & Thomistarum qui non admittunt eiusmodi habitum acquisitum, qui facilius ad actus fidei supernaturalis, & saltem quando vna præmissa est naturaliter evidens, posse generari alium habitum à fide, concedit Scotus in 3. d. 24. quæst. vn. §. *Si loquamur*.

VII.

Fundamentum vero est, quoniam habitus Theologiæ ex duplici ratione vendicare posset identitatem cum habitu fidei: nempe vel quia habitus omnis scientiæ acquisitæ est idem cum habitu principiorum: vel ex propria ratione, non ex communi, contra Syluestrum ostensum est: non ex propria, quoniam nihil particulare habet Theologia, propter quod non acquiratur nouus habitus per assensum propriè Theologicum, si acquiratur per assensum scientificum naturalem. Etenim ea diuersitas vel procedit ex eo, quod sit sapientia, vel ex eo, quod non sit naturali lumine acquisita: non primum, quia neque sapientia est vnus habitus circa conclusiones, & principia cognita ex terminis, vt ostendi tractat. 4. cap. 9. Non secundum, quoniam diuersitas omnis discursus Theologici à discursibus scientiarum naturalium in eo sita est, quod illæ vtuntur principiis naturaliter euidētibus, Theologia vero diuina fide creditis: hæc autem diuersitas non sufficit ad arguendum identitatem essentialē, ac realem habitus inclinantis ad assensum conclusionis cum eo, quo assentimur ex fide, siquidem ex ea solum habetur assensum Theologicum vltimo, ac remote niti auctoritate diuina, qua fides nititur proximè, & immediate: sed hæc eadem ratio suo modo reperitur in assensibus conclusionum, ac principiorum scientiæ naturalis, ergo ob eam non erit idem habitus ad assentiendum conclusionibus Theologicis, ac principiis fidei. Assumptio per se patet: nam conclusiones naturales vltimo resoluuntur ad simplicem penetrationem terminorum, propter quam præstatur assensus præmissis: & tamen non assentimur illis im-

mediate propter eiusmodi penetrationem, sed propter assensum principiorum, principiis autem immediate ex vi penetrationis terminorum: ergo quoad rationem assentiendi proximè, aut remotè non est diuersitas in Theologia à scientijs naturalibus. Secundo omnis ratio formalis sufficiens ad identitatem specificam habituum, sufficit etiam ad identitatem actuum, vt constat ex suppositione superius facta: sed actus, siue assensus generati per discursum Theologicum non sunt actus fidei, ergo neque habitus fidei: Consequentia est manifesta: assumptio probatur: nam de ratione actus fidei est, vt non solum quo ad exercitium, sed etiam quoad speciem sit liber, & indigens determinatione voluntatis: at posito discursu, & assensu præmissarum necessario determinatur intellectus quoad speciem, neque potest negare conclusionem. Verum hæc ratio non omnino conuincit: nam etiam electio medijs necessarij ad finem est actus virtutis, & liber quoad speciem: & tamen posita finis intentione voluntas medium vnicum repudiare nequit. Addendum itaque est actum fidei esse eiusmodi, vt obiectum eius propositum intellectui non possit per se solum determinare illum absque applicatione, & motione voluntatis: at positus assensibus principiorum, & perspecta euidenter bonitate consequentiæ, intellectus non indiget vt quoad speciem determinetur à voluntate: ergo talis assensus Theologicus non est actus fidei. Accedit quod pleraque ab Ecclesia determinata, quæ rectè deducuntur ex reuelatis, ante Ecclesiæ decretum non fuerunt explicite, & formaliter de fide in seipsis: ergo actus, quo à Theologo ex principiis Theologicis deducuntur, & vera iudicantur, non est fidei diuinæ, ratio est, quoniam veritas, quæ non nititur sola reuelatione diuina, non habet infallibilitatem necessariam ad rationem obiectiuam fidei: obiectum Theologicum, quatenus est discursu nostro cognoscibile, nititur etiam euidētia naturali de bonitate consequentiæ, & ita non habet eam infallibilitatem, quam exigit actus fidei diuinæ.

VIII.

Primum argumentum exposcit, vt explicetur quotuplex sit propositio de fide, quod non est huius loci, sed spectat ad materiam de fide. Illud vnum ad argumenti solutionem sat est, scilicet de fide quædam dici propriè, ac presè, quæ formaliter, & in se sunt reuelata: & quibus, qui dissentit, eo ipso est hæreticus; alia lato

modo que nimirum non sunt explicitè reuelata, dicuntur tamen de fide, quasi secundario: quia is, qui ea negat, censetur virtute negare formaliter reuelata, ex quibus illa sequuntur: si tamen quis ea negaret alia de causa, verbi gratia quia reputat falsam aliam propositionem naturalem, ex qua sequuntur, inficius, non hæreticus diceretur, ut si quis negaret Christum esse discursuum, non quia non crederet esse hominem, sed quia falsò iudicaret hominem non discurre, sed intelligere ad modum Angelorum: & quamvis in foro exteriori præsumendus esset hæreticus, re tamen ipsa non esset. Itaque quando mens in obiectum non fertur ex vi immediatæ reuelationis, sed ex cognitione alterius obiecti complexi reuelati, & discursu proprio, ac ratiocinatione, est ratio formalis diuersa. Ex quo patet negandam maiorem propositionem, & ad primam eius confirmationem dicendum ea, que ita inferuntur, nõ esse primario, & proximè, sed remotè, ac secundariò de fide, & ita ad eorum assensum nõ concurrere fidem immediatè, sed remotè, quatenus concurrat ad assensum præmissarum, ex quo proximè sequitur assensus conclusionis. Ad secundam respondetur, quando Ecclesia aliquid diffinit, iam illud credi nõ propter discursum, sed propter immediatam reuelationem: nam Ecclesia diffiniens cum nihil de nouo decernat, quod non fuerit ad eò reuelatum, solum declarat id haberi ex sancti Spiritus illustratione. Quod si hoc decernat colligendo ex reuelatis, hæc ipsa collectio ut patefacta ex infallibili assistentia diuini Spiritus, confert obiecto infallibilitatè diuersam ab ea, quæ sumitur ex lumine, ac discursu rationis humanæ. Responsio tertiæ patet ex dictis: nam, quamvis assensus conclusionis nitatur reuelatione diuina, non tamen proximè, & immediatè ut assensus fidei, sed remotè, & per modum resolutionis in sua principia, ut sæpè dictum est. Ad secundum respondetur maiorem propositionem esse veram, si intelligatur de eo, quod per se, & formaliter distinguit fidelem ab infideli: id enim est sola fides, ut bene probat argumentum: esse tamen falsam, si intelligatur de eo, quod secundariò distinguit tamquam aliquid necessario supponens fidem: quemadmodum dici potest, quod spes distinguat fidelem ab infideli, non quidem primariò, & per se, sed secundariò, quatenus necessario supponit fidem, quod perinde non potest reperiri in infideli, & hac ratione se habet suo modo Theologia: quæ

dependet ab habitu fidei, tamquam ab habitu principiorum.

De comparatione Theologiæ cum alijs habitibus quoad certitudinem.

CAPVT III.

Comparatio scientiæ Theologiæ quoad certitudinem cum alijs habitibus, vel actibus intellectus, solum habet dubitationem in ordine ad scientias naturales: nam si conferatur cum Theologia beatorum, planum est cedere illi quoad certitudinem, ut notat Bonauent. in 3. d. 23. art. 1. quæst. 4. in corpore. Durand. eadem d. quæst. 7. numero 10. Capreol. d. 25. quæst. vn. art. 3. ad 6. Capreol. contra tertiam conclusionem. Gabriel. d. 23. quæst. 2. art. 1. & Caietan. secunda, quæst. 4. art. 8. ad 3. siquidem Theologia beatorum habet eandem radicem certitudinis, quam nostra, scilicet ipsam primam veritatem: & præterea addit euidenciam, qua caret nostra. Ex quo sequitur maximum discrimen: nam beata, ut inquit Diuus Bonauentura in 3. d. 26. art. 1. quæst. 5. ita illuminat, ac firmat intellectum erga veritatem cognitam, ut reddat illum impotentem ad errandum, vel dubitandum de illa: nostra vero præbet sufficientem vim, ac firmitatem ad vincendum errorem, & excludendam dubitationem, non ita tamen necessitat, ut impossibile sit in oppositum errorem declinare: ut declinarunt illi, qui teste Apostolo primæ ad Timoth. 1. 1. ad Tim. 1. 1. *conscientiam repellentes circa fidem naufragauerunt.* Cum igitur cæteris paribus multo excellentior gradus certitudinis sit is, qui intellectum ita obfirmat in vero, ut nequeat in falsum declinare, quam is, qui illi non eripit aberrandi facultatem, perspicuum est certitudinem Theologiæ viatorum nõ esse æqualem certitudini Theologiæ beatorum. Certum quoque est certitudinem fidei esse maiorem quam nostræ Theologiæ: quoniam fides est principium Theologiæ: qua ratione motus D. Thom. 1. 2. secunda secunda, quæst. 4. art. 8. in corpore, & ad 3. dixit fidem esse certiorē scientiæ, sapientiæ, & intellectu, quæ sunt dona Spiritus sancti, quia est fundamentum ipsorum: multo ergo certior erit Theologia, quæ non est donum Spiritus sancti.

Accedit